

tis, excogitatum à se immutationem suâque autoritate tantum inductam Hebrais omnibus per universoni latè Orbem dispersis adprobaverit? Minimè id quidem; nam Esdras non privatae auctoritatis vir erat, neque minimi apud suos nominis; omnes enim virum verebantur, tanquam morum probitate, & rerum gestarum gloria, sicut etiam literarum studis, insignem: cujus nomen apud ipsos Paganos clarissimum habebatur; qui summâ fultus auctoritate ab ipso Rege Persidis in Judæam (o) missus, ut gentem suam juxta patrias Leges gubernaret, atque refractarios in ordinem cogeret. Uno verbo Esdras tanquam Summus Judæorum Doctor, & Divino Spiritu afflatus Vir apud omnes merito habebatur. Tantus igitur tantusque cum esset, & post exactam summâ cum populi approbatione vitam, accedente insuper Nehemiae cæterorumque virorum Principum auctoritate, miramur, si novam hanc characterum reformationem in Libris sacris persuadere Judæis universoni potuerit?

Hieronymus nunquam illud auctoritatis culmen in Ecclesia Latina, quod Esdras in Synagoga, attingit. Hieronymus, inquam, Versionem Veteris Testamenti ex Hebræo adornavit, qua in re adversarios quam plurimos nactus est, nec ipse quidem aliam in Ecclesia implebat dignitatem, quam Sacerdotis. His tamen nequidquam obstantibus, eadem Versio in publicis Ecclesie Lectionibus recepta est, sensimque apud Fideles obtinens, eod auctoritatis devenit, ut nullo licet aditente Concilio, nullaque supremâ auctoritate cogente, supra cæteras omnes sola intra brevioris temporis spatium regnaret. Nec regnavit tantum, sed ita ejus luce vetera Exemplaria discussa sunt, ut hodie vetus integrum vix & ne vix quidem inveniat. Tandem eo devenit, ut postremum generale Concilium unam eam Versionem authenticam declararet, abjudicata novis omnibus versionibus causâ. S. Hieronymus, dicam iterum, minori eruditionis famâ, minori auctoritate, & dicere etiam audeam, minori intelligentiâ quam Esdras pollebat; nunquam enim S. Doctor Divino Spiritu afflatus ad scribendum se contulit; nihilo tamen fecius Versionem suam Ecclesie Latinæ universæ ita potuit commendare, ut cæteris abolitis sola regnaret. Quæ cum ita sint, cur Esdræ Auctori Divino Spiritu afflato, viro sui temporis doctissimo, & prophetiæ dono insigni, non tantum tribuerimus, ut universæ Judæicæ Ecclesie persuadere potuerit levem hanc characterum immutationem, qua, salvâ Textus veritate, Phœnicis apicibus novos alios substituerit?

Aliud etiam in eam rem non prætereundum argumentum accedit, quod Esdræ ætate Judæi, si unquam aliâs, ad eam transmutationem recipendam aptissimi censentur; ut eam exigere, quin & potere videri potuissent. Hebræorum enim quicumque in Transæphratis, & Syriæ regionibus versabantur, Chaldaicis literis, & sermone potissimum ita assueverant,

ut soli inter eos viri literis additi veterem scribendi rationem nossent. Quare si Textus notis populo literis redderetur, via instruebatur pronior, ut vulgaribus omnibus lectio, & studium Legis pateret. Semel etiam ab incommodo discendi geminum characterum genus onere relevatus populus, eodem quo utebatur studio in discendis literis Chaldaicis pro familiari commercio, ipso pariter ad lectionem S. Scripturæ, iisdem descriptæ characteribus, juvabatur. Poscebant ergo Judæi, summisque votis hanc characterum immutationem flagitabant.

Tandem in obscuro licet versetur tota hujus transmutationis historia, cujus altum est in S. Scriptura silentium, neque inter Judæos ipsos de illa satis constat: certam licet ejus rei epocham, & quantum insuper Esdræ laborandum fuerit, ut consilium suum universoni populo persuaderet, ignoremus; facile tamen credimus, neque brevioris temporis rem illam fuisse, nec operæ; nulloque magis adjumento eam immutationem promotam, quam insitio Judæorum in Samaritanos odio. Quod enim penes Samaritanos esset, Pentateuchus veteribus Phœnicis characteribus descriptus, id vel unicum in causa fuisse poterat, cur Judæi pristinum scribendæ Legis morem deserentes, novum adoptarent.

Cæterum ea, quam hæcenus statimus, reformatio, quamvis nec Esdræ vetustior, nec multo recentior illo credatur, non ita tamen ejus rei certam epocham definire audeamus, quin exorbitare ab illa per nos minimè liceat. Neque ita Esdras ejus rei author constituitur, ut etiam operam in illa suam impendisse Principes totius gentis viros negaverim. Totum etiam hujus substitutionis opus non ita statim absolutum perfectumque est, quin vestigia plurima veteris Scripturæ in Sacris Libris manerent. Ita Origenis ætate vetera quedam Exemplaria suppetebant, in quibus nomen *Jehovah* veteribus scriptum characteribus exhibebatur; & sub Simone Macchabæo excusos nummos veteribus Samaritanis characteribus constat. Quare eâ etiam ætate negotium reformationis non aded processerat, quin veteris Scripturæ vestigia aliqua manerent. Cujus rei sive in causa fuisse potuit, quod Artificibus Phœnicis, quibus regionis characteres ignoti essent, Simon uteretur; sive quod ætati suæ quandam vetustatis auctoritatem conciliare volebat, pristinos gentis suæ characteres iterum revocans, quemadmodum apud nostros Reges in moribus positum est, ut Latinam adscriptionem in nummis excudendam statuunt, quamquam vernaculus Regni sermo alter sit à Latino. Quæcumque tandem Simonem impulerit ratio, vix tamen credimus committere potuisse, ut characteres populo profusus ignotos excudendos in nummis curaret.

Nihil igitur moramur totam hanc Samaritanorum characterum, quos vernaculos fuisse usque ad captivitatem Babilonicam credimus, in Chaldaicis literis transmutationem (quam populo, Chaldaeo-

dæorum moribus assueti, Esdras cæterique viri in tota gente Principes persuaserint) & veluti per gradus inductam, pro veteribus characteribus novis paulatim succedentibus.

IN SECUNDUM ESDRÆ PROLEGOMENON.

a Vide 1. Esdr. 2.63. & 2. Esdr. 7.65.

b Malv. Esdr. Tirin. Menoch. c Euseb. Isidor. Genebr. in Chron. Rab. Arab. in Cabala, Scaliger ad Euseb. Chron.

d 2. Esdr. 6.11.

Nehemias cognomento *Aberfata* (a) nempe *Pincerna*, à munere quod in Aula Artaxerxis Longimani Regis Persidis obibat; Nehemias, inquam, Author hujus Operis vulgè reputatur. E' familia Levi, & ex ordine Sacerdotali originem ducens, juxta quorundam sententiam (b), sive è Tribu Juda juxta alios (c), patrem habuit Helctam sive Chelciam. Quicumque è genere Sacerdotali virum accessit, laudant in eam rem illud 2. Macch. 1. 18. 21. *Justit Sacerdos Nehemias aspergi Sacrificia aquâ: ac illud: Adificato Templo & Altari obtulit Sacrificia: ad hæc in eodem Libro. 1. Signatores autem fuerunt, Nehemias, Sedecias, Saraias &c. ver. 10. Hi Sacerdotes:*

Et tamen Macchabæorum testimonio nequidquam obstante, quæ verum ad Tribum Juda revocat opinio, tum apud Veteres ferè omnes, cum apud plerisque Recentiores obtinuit. Persuasum enim habebant Veteres, eos omnes qui populo è captivitate restituito jura dederunt usque ad Almongos, ad Tribum Juda spectasse. Nehemias ipse fratres suos, *Hanani*, & alios è Tribu Juda Judæam repetentes, fratres appellat: *Venit Hanani, unus de fratribus meis, ipse, & viri ex Juda: Pincernæ munus illustre erat eâ ætate, nec nisi viris clari generis demandabatur, ut proinde viros principes è Tribu Juda dederet. Tandem Nehemias ne in Templum ingrederetur se continuit, quasi scilicet viro non initiato ingredi nefas reputaret (d): Et quis ut ego, ingrediatur Templum & vivet? Non ingrediatur.*

Authoritatè autem ex Macchabæis adductæ reponunt, 1. Nehemiam à Sacrificiis per se offerendis abstinuisse, jussisse tamen veluti totius gentis Principem, à Sacerdotibus offerri: familiari enim sermone usurpamus, ut quæ ab aliis, authoribus nobis, facta sunt, eadem à nobis facta habeantur. 2. Textus Græcus nihil legit de Sacerdotali viri dignitate, habet enim: *Justit, Sacerdotes Nehemias aspergi aquâ (crasâ scilicet, è puteo, ubi olim ignem abdidierant, hausit) ipsa (sacrificia) & ligata &c. quo aperto satis documento intelligimus, non Sacerdotalem seu Leviticam di-*

Differt. Calmet. Tom. I.

gnitatem egisse virum, sed super omnem populum sæcularem, & supream. 3. Si nomen suum in adscriptionibus primum ante Sacerdotes, & Levitas posuit, illud in causa fuit, quod summum in Republica locum, veluti Regis Persidis nomine regionem administrati, sibi deberi arbitrabatur. 4. Tandem viri nomen nusquam in censu Sacerdotum sive apud Esdræ, sive apud Paralipomena legitur.

Cum Nehemias afflictus esse prostrataque res Jerosolymæ, Babylone agens, didicisset; certior insuper factus mœnibus dejectis, incensisque portis, Judæos in summo luctu, & gentium omnium opprobrio versari; effusus in preces, & corpus jejuniis macerans, tempus opperiebatur, quo & muneri suo præstando, & Regi supplicaturus pro Urbe sua accederet (e). Discumbenti igitur Regi, ille muneri suo præstando adfuit, & cum solito tristior videretur, (f) Rex primo intuitu finitrum, aliquid moliri suspicatus est; sed certior ab illo factus, Patriæ se vices dolere, copiam fecit ut in Judæam reverteretur, eâ tamen conditione, ut intra præscriptum tempus rediret; quod propensionis in illum Regiæ certissimum erat argumentum. Scriptæ insuper pro viro Regis Epistolæ ad Præfectos Provinciarum trans Euphratem, quibus ligna omnia præstari Nehemias jubebantur, quotquot opus esset in usum Templi, mœnium, & adium Præfecti regionis.

Venit itaque Nehemias Jerusalem (g), totoque triduo consilium suum suppressit. Noctè tertie diei Urbem totam circumivit, mœnia lustrans, ut eorum statum omnem haberet exploratum. Sub hæc, Optimatibus ad concionem evocatis auctoritatem suam omnem, & adventus consilium aperuit. Cum omnes assentientes & favorem pollicentes nactus esset, ipse quidem cæterique omnes summo consensu ad opus suscipiendum se contulerunt. Qua re gentis adversarii statim cognitâ, eâ qua tenebantur in Judæos invidiâ, statim ad inhibendam ædificationem procurrerunt; sed Regis jussionibus prohibiti in irrationes versi (h) illud secum invicem dictabant. Quid Judæi strue hac cémenti, & lapidum moliantur? Si vulpes suffodiendos illos muros susceperint, profectò fabricam omnem

e 2. Esdr. 1.1. & seq.

f 2. Esdr. 2.1. & c.

g 2. Esdr. 2. 11.12. & c.

h 2. Esdr. 2. 19. & 5.1.2.

nem deficient? Cum verò reparatos muros, recusatamque Urbem cernerent, verso tunc consilio, omni sibi operâ adnitendum censuerunt, ut Nehemiam è medio tollerent. Frustrâ tamen omnia; namque insidiis omnibus viro revelatis (i), ipse armari suos, atque militari ordine adversarios opperiri iussit. Quare illi cum se proditos intellexissent, abjecto consilio recesserunt. Exinde Nehemias civium suorum partem semper sub armis tenuit, cum interim ceteri urgendo operi incumbere; iussit etiam populum ita edificationi incumbere, ut simul tamen suis armis accinctus semper præsidio esset ad prælium (k).

Nec tamen propterea Sanaballat cæteri- que gentis adversarii animis despondentes, insidias in Nehemiam moliti sunt. Foederis igitur faciendi specie virum invitaverunt, ut secum in agrum conveniret; quibus tamen invitantibus respondendum ille mandavit (l), præsentiam suam opus exigere, nec aliò divertere interim posse; quod non semel, & iterum, sed quartò reposuit; virosque ab eo missos simili semper responso vacuos Nehemias remisit.

Tandem Sanaballat ejusque clientes datis ad Virum literis significarunt, sparso in populum rumore vulgatum esse, illum res novas in Regem moliri, eoque consilio moenia Urbis sarcire. Ferebant insuper, accusari illum de suscitatis sibi Prophetis, qui populum ad eligendum se gentis Regem excitarent. Suadebant proinde, ut invidiam in se conceptam amoliturus, simul opportunitiora consilia suscipi convenirent (m). Nihil his commotus Nehemias respondit, omnes in se accusationes mera esse & ad arbitrium excogitata commenta. Consulendum tamen censuit Semaïam, quem Prophetam reputabat; quo hortante ut in Templum sese reciperet, futurum enim ut proximâ nocte in illius cædem armati adversarii clam supervenirent; renuit Nehemias, & brevi didicit, virum illum adversariorum arte corruptum, conficta oracula vendidisse. Plures etiam ex Optimatibus Jerusalem junctis cum adversariis illius consiliis, secretò in ejus necem conspiraverant (n). Nihil tamen retrahere virum ab opere jam incepto valuit; brevique ejus potissimum operâ intra 52. dierum spatio tota moles stetit (o).

Celebrata deinde absolutorum mœnium dedicatio, eo apparatu, quem tantum opus exigebat (p). Divisi igitur in duas alas Sacerdotes, Levitæ, Principes, cæteri- que populi; ambæ seorsum procedebant, altera meridionale latus, altera septentrionale mœnium tenentes, omnibus interim persfrepentibus, quâ musicis cantilenis, quâ instrumentorum concentu, donec Templum ingrederentur, ubi duæ simul alæ in unum corpus coaluerunt. Facta ibi lectio Mosaicæ Legis, oblata sacrificia, nullaque omiſsa ingentis gaudii significatio. Cum verò in ea fortè tempora incidisset Festum Tabernaculorum, geminata solemnitas gaudium cumulavit.

Amplior erat restitutæ Urbis ambitus, quam ut incolarum rator numerus exi-

i 2. Esdr. 4. 7. &c.

k 2. Esdr. 4. 16. &c.

l 2. Esdr. 6. 1. &c.

m Ibid. ver. 6. 7.

n 2. Esdr. 6. 8. 17. 18.

o 2. Esdr. 6. 15.

p 2. Esdr. 12.

geret; quare illi augendo iussit Nehemias Optimates omnes ædes suas Jerosolymis excitare, atque insuper decimam totius populi portionem jactu sortium discretam eò migrare coegit. His artibus tum ex iis, quibus sortitò Urbs obtigit, tum ex iis, qui spontè venerant, satis frequens civium numerus comparatus est (q). Milites excubias præ foribus Urbis agentes adjecit Nehemias, ne quid ab hostibus, semper in excidium novæ Urbis paratis, incurſionis pateretur (r). Ex quibus satis ab externorum injuriis tutus, curas suas omnes reformandis, qui irreperant, in populo abasibus vertit.

Illi præ omnibus exscindendo laboravit, qui maximè detestandus videbatur; impotentia nempè, qua divites in tenuiores cæteros furebant; eò enim crudelitatis proceſſerant, ut eorum filios, & filias mancipiorum jure servitiis suis addicerent; eorumque substantias omnes obliguriebant (s). Tot miserorum clamoribus excitatus Nehemias, in frequenti Optimatum, & Magistratuum cœtu eorum immunitatem pluribus detestatus est; cum enim, inquit, nos fratres, & sorores nostras è captivitate redemptos in hanc regionem reduxerimus, vos iterum excussæ captivitatibus gum imponitis. An iterum redimere captivos nos cogetis? Ego nempe plura mutuo dedimus: jus nostrum omnem remittimus; remittatis & vos suadeo, quæque oppignorata servatis, ultro restituite. Dicentem pronis auribus auscultavit Israelita, statimque es alienum omne remissum, manumissa Hebræorum mancipia, restituta oppignorantibus possessiones.

Alter restabat perniciosus maximè, & inveteratus in populo abusus, quem Esdras deleturus laboraverat; connubia nempè Israelitarum cum foeminis alienigenis. Felici in illum successu declamavit Nehemias, quo suadente omnes præcepto Legis morem gesturi, alienigenas uxores unâ cum filiis eo connubio genitis, remiserunt (t). Verùm cum abesse deinde Urbe atque Babylonem contendere duodecimo anno Præfecturæ suæ cogeret (u); non desierunt, qui ejus absentia occasione captatâ, pristinas uxores resumerent; quin & Joradas ipse filius Eliaſib Summi Sacerdotis filium suum connubio cum filia Sanaballat Moabitide junxerat. Eam rem iniquissimè ferens Nehemias, studio Legis armatus, illum Urbe extruxit, sicut & utensilia omnia Tobia in domo Domini commorantis, ejicienda præcepit è Templo, quippè qui ejusdem criminis reus tenebatur; cæterosque deinde Israelitas omnes coegit, ut reductis iterum foeminis repudium darent.

Cum Sacerdotibus, & Levitis pristina stipendia deessent, atque adjunctas Templo ædes sibi destinatas à Tobia occupari cernerent, desertis Templi servitiis aliò quique diverterant (x). Nehemiæ operâ omnia in suum locum restituta sunt; coactus populus stipendia Ministris Domini præstare, & ipsi vicissim Ministri ad pristina munia revocati. Præscripta insuper Sa-

q 2. Esdr. 11.

r 2. Esdr. 7. 1. &c.

s 2. Esdr. 5. 1.

t 2. Esdr. 9. 1. 2.

u 2. Esdr. 13. 6. &c.

x 2. Esdr. 10. 11. &c.

Sacerdotum obsequiis, & tempore illorum ministerii regulæ, juxta constitutam olim à Davide, & Salomone normam; reddita Sabbato sua religio, ad eam usque diem Jerosolymis neglecta, clausisque Urbis foribus prohibiti alienigenæ, ne quid vendere eâ die auderent.

Quò autem rectissimus politiæ ordo constaret, inductaque in Israelitarum reformatio diutius inter Deum, & Populum sædem, jurantibus in verba Domini Nehemias, Sacerdotibus, cæteri- que Optimatibus. Sancitum est ut jussionibus Domini morigeros se Israelite præstarent, Legem Mosaicam sanctè custodirent, connubia cum alienigenis foeminis ne conciliarent, neve quid venderent, emerentque die Sabbati; septimo quoque anno terra feriret; singulique annis tertia sicii pars pro fartis tectis Templi Domini penderetur, ligna in usum sacrificiorum conferrentur, primitiæ fructuum penderentur, ac tandem pretium solveretur primoribus natu redimendis &c. Hæc statim post mœnium edificationem facta sunt (y). Huc usque secundus Liber Esdræ de rebus Nehemiæ.

Nonnulla etiam ejus viri in Libris Macchabæorum (z). Legimus enim ibi Nehemiam ad querendum mississe sacrum ignem, quem Sacerdotes in areni & alto puteo occultaverant; inventaque pro igne aquâ lutulentâ Aram omnem aspersit; & cum radiis solis incalentibus aqua illa ferveret, excitatus subito non sine divino prodigio ignis victimas super Aram absumpsit. Certior de his factus Rex Persidis, prodigio attonitus plura Israelitis concessit (a). Auxit Sacerdotum Urbis proventus, ejusque præcepto locus, ubi ignis delituerat, novorum mœnium ambitu clausus est.

Tandem Nehemias, ut de posteris suis omnibus optimè mereret, Bibliothecam instruxit (b), omnibus, quotquot unquam reperiri potuerunt, Libris Prophetarum, Davidis, & Principum, qui munera Templo obtulerant, reſertam. Tandem felici senectute diem clausit extremum Jerosolymis, post administratam 30. circiter annorum spatii Rempubliam.

Quò autem ad Librum Nehemiæ regrediamur, communi licet sententiâ genuinum ejusdem Authoris Opus, cujus nomen in primi capitis fronte præferebat, habeatur, cum maximè in prima persona veluti de se Author loquatur, plura tamen nec contemnenda rationum monumenta in dubium revocant, num saltem Liber, qualis nunc extat, ad Nehemiam authorem pertineat. Quamquam enim in re ejus genuinum Opus habetur, suspitioni tamen locus relinquitur, num ex reliquis ab eo Commentariis alterius labore derivatum sit. Primò enim observant, in Textu Hebræo unâ serie cum præcedenti Libro olim continuatum fuisse [c]; quasi scilicet ad unum eundemque Authorem uterque pertineat.

2. Commentarii Nehemiæ in Macchabæis laudantur (d); relataque ibi verba

y 2. Esdr. 9. & 10. z 2. Maccab. 1. 19. 20.

a Ibid. ver. 34. 35.

b 2. Maccab. 2. 13.

c Hieron. Præfat. in Esdr. & alii passim. d 2. Maccab. 2. 13. Inſerebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem.

in Libris ejusdem nomine inscriptis nupiam occurrunt; quare alterutrum è duobus statuamus oportet, sive partem tantum vel summam operum Nehemiæ nostrâ etate superesse; sive qui in Macchabæis laudantur Libri, alios esse ab iis, quos idem Author sub titulo Verba Nehemiæ didavit. Id autem vix contingere potuisse persuademur, ut scilicet duos de eodem argumento Libros Nehemias scriberet.

3. Liber Nehemiæ, qualis nunc extat, plura continet à Nehemia planè aliena. Laudat e. g. Memorias sive Commentarios, in quibus nomina referrebantur Sacerdotum, & Levitarum, pertinentium ad aetatem Jonathan filii Eliaſib, quin & Jeddò Summi Sacerdotis, Regisque Darii Condromani (e), qui ambo, utpote ad aetatem Alexandri Magni pertinentes, ultra 120. annos post Nehemiæ in Judæam adventum recentiores sunt. Non est igitur cur ejus capitis author Nehemias habeatur. Cui insuper bono Commentarii illi laudantur? An fortè ut constaret fides rebus omnibus eâ etate exploratissimis? Hujus generis testimonia tum potissimum exiguntur, cum supra fidem vel incongnita narranda sunt, vel saltem cum de rebus agitur tempore ab etate Scriptoris distitis.

4. Agit etiam ibidem Author de Nehemia quasi de alieno aliquo, & de viro tanquam longâ jam etate satis functo: Hi in diebus Joachim filii Josue, & in diebus Nehemiæ ducis, & Esdræ Sacerdotis Scribaque (f).

5. In historiæ serie multa extra suam sedem vagantur. Ita dedicatio mœnium extra locum aberrat [g]; aberrat caput quintum, in quo Nehemias de rebus gestis anno duodecimo administrationis suæ agit, quamquam capite proximè sequenti, & præcedenti historiâ completitur ab initio Præfecturæ usque ad quinquagesimum inde diem. Ex quo illud statuendum, siquidem Nehemiam operis Authorem arbitremur, saltem versus 22. usque ad totum 26. totumque aded versus 26. capitis duodecimi alienâ manu in Textum irrepsisse (b); sive potius Nehemiam exactas administrationis suæ Ephemerides reliquisse ad ævum usque Macchabæorum superstitibus; ex quibus universum hoc Opus, ipsis etiam Nehemiæ phrasibus servatis, quamquam non rerum serie, nec tempore, quin etiam pluribus omiſſis, derivatum fuisse. Quam posteriorem sententiam præ aliis probamus. Hujus Libri Authorem Esdræ reputandum esse Genebrardus autumavit; qui sane debuit ad multos annos vitam prorogare, ut hæc literis mandaret. Adde inter utrosque Libros Esdræ, & Nehemiæ aded multa in iisdem censibus familiarum referendis variare, ut neque unius ejusdemque Authoris Opus, neque eadem utrinque suppetere Veterum monumenta appareat.

Nehemiæ Liber historiâ continet 30. annorum circiter, quot nempe excurrunt à primo ejus viri in Judæam adventu A. 3550. usque ad A. 3580. emortualem ipsius.

e 2. Esdr. 12. 27.

f 2. Esdr. 12. 26.

g 2. Esdr. 12. 17.

h Vide Caspel. Chronol. Sacr.